



REGULAE  
SEU  
CONSTITUTIONES  
SOCIETATIS  
S. FRANCISCI SALESII

Juxta Approbationis decretum die 3 aprilis, 1874.



AVGVSTAE TAVRINORVM  
EX OFFICINA ASCETERII — SALESIANI  
AN. MDCCCLXXIV.





## I.

### SALESIANAE SOCIETATIS FINIS.

1. Huc omnino spectat Salesiana Congregatio, ut socii simul ad perfectionem christianam nitentes, quaeque charitatis opera cum spiritualia, tum corporalia, erga adolescentes, praesertim si pauperiores sint, exerceant, et in ipsam iuniorum clericorum educationem incumbant. Haec autem societas constat ex presbyteris, clericis atque laicis.

2. Iesus Christus coepit facere et docere, ita etiam socii praeter internas virtutes incipient externalium virtutum exercitio, et scientiarum studio se ipsos perficere; deinde aliis iuvandis strenuam operam dabunt.

3. Primum charitatis exercitium hoc erit, ut pauperrimi in primis et derelicti adolescentuli excipientur, et sanctam catholicam religionem doceantur, praesertim vero diebus festis.

4. Cum autem saepe contingat, ut adolescentuli inveniantur adeo derelicti, ut, nisi in aliquod hospitium recipiantur, quaecumque cura frustra iis omnino impendatur, idcirco maiori, qua licebit sollicitudine, domus aperientur, in quibus, Divina opitulante Providentia, receptaculum, victus et vestis iis suppeditabuntur. Eodem vero tempore, quo Catholicae fidei veritatibus imbuentur, operam quoque alicui arti navabunt.

5. Quum vero gravissimis periculis sint obnoxii adolescentes, qui ecclesiasticae militiae nomen dare cupiunt, maximae curae huic societati erit eos pietate fovere, qui studio et bonis moribus speciatim se commendabunt. In adolescentibus autem studiorum causa excipiendis, ii praferentur, qui pauperiores sint, quique idcirco curriculum studiorum alibi nequeant explere, dummodo aliquam spem vocationis ad ecclesiasticam militiam praebent.

6. Catholicae religionis tutandae gravior etiam urget necessitas inter Christianos populos, praesertim in pagis; propterea socii strenue adlaborabunt, ut homines, qui melioris vitae amore per statos aliquot dies secedunt, ad pietatem confirment, erigantque.

7. Idem socii curae habeant uti bonos libros in vulgus spargant, omnibusque rationibus utantur, quae a sedula charitate profiscuntur; verbis denique et scriptis impietati aduersentur et haeresi, quae omnia facit, ut in rudes ac idiotas pervadat. Huc spectent sacrae conciones, quae identidem habentur ad populum; huc triduanac et novendiales supplicationes; huc demum bonorum librorum diffusio.

## II.

### HUIUS SOCIETATIS FORMA.

1. Socii omnes vitam communem agunt, uno fraternalae charitatis, votorumque simplicium vinculo constricti, quod eos ita coniungit, ut unum cor, unamque animam efficiant ad Deum amandum, eique serviendum

virtute obedientiae , paupertatis , castitatis , et omnino christiana vivendi ratione.

2. Clerici et Presbyteri, etiamsi iam vota emiserint, patrimonia vel simplicia beneficia uti vocant, retinere poterunt; sed non ea administrare, neque eorum fructibus perfrui , nisi ad Rectoris voluntatem.

3. Administratio patrimoniorum , beneficiorum, et omnium quae in societatem inferantur, ad superiorem Generalem pertinet , qui vel per se vel per alios ea administrabit; et, donec quisquam in congregatione fuerit , annuos eorum fructus idem Superior percipiet.

4. Eidem superiori sive generali sive locali omnes Presbyteri missarum etiam eleemosinam deferent. Omnes vero , tum Presbyteri, tum Clerici, vel laici, omnem pecuniam, quocumque donum, quibusque titulis ad eos perveniant, eidem committent.

5. Unusquisque votis tenetur, nec a votis sive temporariis sive perpetuis exsolvi poterit, nisi forte eorum gratiam illi summus Pontifex fecerit; aut per Superiorem Generalem fuerit a societate dimissus.

6. Unusquisque maneat in vocatione , ad quam vocatus est , usque ad vitae exitum. In mentem quotidie sibi revocet gravissima illa Servatoris verba : *Nemo mittens manum ad aratrum , et respiciens retro , aptus est regno Dei.*

7. Veruntamen , si quis a societate egrediatur , nihil sibi ob tempus , quod in ea transgit , poterit adrogare. Recuperabit autem plenum ius rerum immobilium , atque etiam mobilium , quarum proprietatem statim ab ipso ingressu in societatem sibi reservaverit. At nullum fructum , neque ullam eorum administrationis rationem exposcere poterit pro tempore quo in societate permanxit.

8. Qui affert pecuniam , mobilia , vel alia cuiuscumque generis in societatem eo animo , ut eorum proprietatem servet , debet elenchum earum rerum Superiori tradere , qui , rebus omnibus recognitis , ei chartam accepti dabit. Cum autem velit socius res recuperare , quae usu consumuntur , eas recipiet eo statu , in quo tunc temporis erunt , quin liceat ei compensationem ullam repetere.

III.

DE VOTO OBEDIENTIAE.

1. Propheta David Deum enixe orabat, ut illum doceret eius voluntati obsequi. Servator autem Dominus noster certos nos fecit, se huc in terras descendisse, non ut ficeret voluntatem suam, sed voluntatem Patris sui, qui in coelis est. Idcirco hue spectat obedientiae votum, ut videlicet certiores efficiamur nos sanctae Dei voluntati obtemperatueros.

2. Quapropter unusquisque proprio Superiori obediat, illumque in omnibus veluti patrem per amanter observet, eique pareat integre, prompte, hilari vultu, demisso animo; ea persuasione ductus, in re praescripta ipsam Dei voluntatem patefieri.

3. Nemo anxietate vel petendi vel recusandi afficiatur. Si quis autem cognoscat quidpiam sibi vel nocere, vel necessarium esse, reverenter id superiori exponat, cui maxima erit curae eius necessitatibus consulere.

4. Maxima unicuique fiducia in superiore sit; ideoque de exteriori vita rationem prima-

riis Congregationis superioribus identidem reddere socios iuvabit. Superioribus suis unusquisque in constitutiones exteriora commissa, atque etiam profectum in virtutibus simpliciter ac sponte aperiet, ut ab iis consilia et consolationes, et, si opus fuerit, convenientia monita accipiat.

5. Nemo, ne virtutis obedientiae merito privetur, pareat resistendo neque verbis, neque re, neque corde. Quo magis quae iniunguntur repugnant, eo maiori premio a Deo afficeris si ea fideliter perficias.

#### IV.

##### DE VOTO PAUPERTATIS.

1. Votum paupertatis, de quo hic loquimur, respicit tantummodo cuiuscumque rei administrationem non vero possessionem; ideoque qui sunt professi in hac Societate dominium *radicale*, ut aiunt, suorum bonorum retinere poterunt; sed his omnino interdicta est eorum administratio et redditum erogatio atque usus. Debent propterea ante

suam professionem cedere , etiam privatum, administrationem, usum fructum, et usum iis quibus voluerint, ac etiam suae societati, si ita pro eorum libitu existimaverint. Huic vero cessioni opponi poterit conditio, ut sit quandocumque revocabilis ; sed professus hoc iure revocandi in conscientia minime uti poterit, nisi accedat Apostolicae Sedis placitum. Haec omnia pariter observanda erunt si bona spectentur, quae post professionem titulo haereditario ei obvenerint.

2. Poterunt vero Sodales de dominio sive per testamentum, sive, (permissu tamen Rectoris Maioris,) per acta inter vivos libere disponere : quo ultimo eveniente casu, cessabit concessio ab eis facta administrationis, usus fructus , et usus , nisi eam concessiōnem tempore eis placito ratam voluerint, non obstante cessione dominii.

3. Professis autem vetitum non sit ea proprietatis acta peragere , permissu Rectoris Maioris, quae a legibus praescribuntur.

4. Quidquid professi sua industria vel societatis gratia acquisierint , non sibi adscribere aut reservare poterunt; sed haec omnia

inter Communitatis bona refundenda sunt ad communem Societatis utilitatem.

5. Unusquisque hoc voto tenetur cellulam suam maxima simplicitate habere , et summopere niti, ut cor virtutibus , non aedium parietes exornentur.

6. Nemo, vel domi, vel foris pecuniam apud se aut apud alios habeat quacumque de causa.

7. Quisquis demum habeat animum ab omnibus terrestribus alienum : sit vita quoquaversum communis in his, quae ad victum et vestem pertinent; nec quidpiam, nisi peculiari Superioris permissu, aliquis sibi retineat.

V.

DE VOTO CASTITATIS.

1. Qui vitam in derelictis adolescentulis sublevandis impendit, equidem totis viribus nitidecet, ut omnibus virtutibus exornetur. At virtus summopere colenda , atque quotidie prae oculis habenda, virtus angelica, virtus prae caeteris cara Filio Dei, haec est castitas.

2. Qui firmam spem non habet, se, Deo adiuvante, virtutem huiusmodi, nempe castitatem, tum dictis, tum factis, tum etiam mente posse servare, in hac societate non profiteatur; nam magno in discrimine saepenumero versabitur.

3. Verba, oculorum obtutus, tametsi indifferentes sint, perverse interdum ab adolescentulis excipiuntur, qui pravis humanis cupiditatibus iam fuerunt quodactenus subacti. Quapropter maxima cautio est adhibenda, quotiescumque sermo cum adolescentulis instituitur cuiuslibet aetatis, aut conditionis, vel quidpiam cum illis agitur.

4. Congressus defugiantur cum saecularibus, ubi haec virtus periclitari videatur, praesertim vero colloquia cum personis, quas alterius sexus vocamus.

5. Nemo se conferat domum apud notos, vel amicos absque consensu Superioris, qui, quoties fieri possit, comitem ei adiunget.

6. Ut castitas diligentissime custodiatur, haec potissimum sunt tenenda. Scilicet ut sancte quisque ad Poenitentiae et Eucaristiae Sacraenta saepe accedat; consilia confes-

sarii sedulo exequatur; otium devitet; omnes corporis sensus coērceat, et eis modetur; frequenter Iesum in augusto Sacramento delitescentem invisum adeat; crebras iaculatorias preces fundat ad SS. Mariam, Sanctum Franciscum Salesium, Sanctum Aloisium Gonzagam, qui sunt praecipui huius societatis patroni.

VI.

RELIGIOSUM SOCIETATIS REGIMEN.

1. Socii arbitrum et supremum superiorem habebunt Pontificem Maximum, cui, omnibus in locis et temporibus, quidquid iusserit, humiliter et reverenter subiicientur. Quin imo praecipua erit cuiusque socii sollicitudo totis viribus defendendi auctoritatem et legum observantiam Ecclesiae Catholicae, eiusque supremi antistitis, qui est hic in terris legislator Iesu Christi et eius vicariam potestatem gerit.

2. Tertio quoque anno Rectoris Maioris erit narrationem de rebus societatis deferre

ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium; quae narratio complectatur tum numerum domorum et sociorum, tum vero constitutionum observantiam, et quae respi- ciunt administrationem Oeconomicam, quam vocant.

3. Capitulum Generale ad res pertractandas maioris momenti, quae societatem respi- ciunt, ut plurimum agetur tertio quoquo anno et ad ea precavenda quae cum societatis necessitates, tum tempora et loca requirent.

4. Capitulum, ut supra diximus, ita coactum poterit etiam, si vera necessitas id pos- stulet, eos articulos proponere constitutionibus addendos vel immutandos, quos magis e re iudicaverit; ita tamen ut semper et omnino respondeant sensui et rationibus, ob quas ipsae constitutiones probatae sunt. Huiusmodi autem articuli, postquam maioribus suffragiis accepti fuerint, nunquam vim habebunt obligandi, nisi prius s. Sedis consensum obtinuerint.

5. Acta omnia Capitulorum Generalium ad sacrum Episcoporum et Regularium Congre- gationem mittenda erunt, ut rata habeantur.

6. Subiicientur socii Episcopo illius dioecesis, in qua domus est, iuxta sacrorum canorum praescripta, salvo nempe societatis instituto, sive iis de quibus est sermo in constitutionibus ab Apostolica Sede adprobatis.

7. Omnes socii strenuam operam navabunt, ut episcopo dioecesis auxilium praebeant, ac, quantum licebit, ecclesiae iura, illiusque bonum sedulo promoveant, praesertim si agatur de pauperioribus adolescentulis instituendis.

## VII.

### INTERIUS SOCIETATIS REGIMEN.

1. Quod ad interiorem vitam attinet, tota Societas Collegio, seu Capitulo Superiori, subiicitur, quod ex Rectori, Praefecto, Oeconomio, Magistro pietatis seu Catechista, et tribus consiliariis constat.

2. Rector Maior totius Societatis moderator est; ipse in quacumque Societatis domo domicilium eligere potest. Omnia quae respiiciunt officia, personas, res mobiles aut immobiles, spiritualia vel temporalia ei sub-

iiciuntur. Proinde Rectoris munus est socios in sodalitatem cooptare vel non , unicuique adsignare quae spectant sive ad spiritualia , sive ad temporalia ; quae omnia per se aut per delegationem praestare poterit. At nulla, quod ad res immobiles attinet, emendi vel vendendi ei erit facultas, absque Superioris Capituli consensu.

3. In bonorum alienationibus societatis , et aere alieno conflando, serventur quae sunt de iure servanda iuxta SS. Canones, et Constitutiones Apostolicas.

4. Nemo , exceptis Capitulo Superiore et domorum directoribus, potest epistolas scribere vel accipere sine Superioris permissu vel alterius socii ab eodem ad hoc munus specia-  
liter delegati . Verumtamen omnes socii pos-  
sunt epistolas vel alia scripta ad S. Sedem  
et ad Superiorum Generalem mittere , in-  
consultis , loci superioribus in quo ipsi com-  
morantur ; illis enim talia scripta invisere  
minime licebit.

5. Rector maior in munere suo obeundo ad duodecim annos manebit, et iterum eligi poterit. Sed tunc rerum clavum non ten-

bit, nisi in officio suo a Sancta Sede fuerit confirmatus.

6. Mortuo Rectore, Praefectus vicem illius geret, donec successor ei creatus sit; at nullam ipse poterit neque disciplinae, neque administrationi immutationem afferre, quo tempore Societatem reget.

7. Mortuo Rectore, statim Praefectus illius mortem annuntiet omnium Domuum Directoribus, qui statim curabunt ut sacra pia-cularia, quae a constitutionibus praescripta sunt, persolvantur. Deinde eosdem Directores invitet, ut successoris electioni interesse satagant.

8. At si forte contingat, quod Deus aver-tat, ut Rector Maior gravissime officia sua negligat, praefectus vel quisque de superiori Capitulo, caeteris adnitentibus qui sunt e-iusdem Capituli, poterit Rectorem sui officii efficaciter admonere. Quod si non sufficiat, tum Capitulus de hac re sacram Episcopo-rum et Regularium Congregationem certio-rem faciat, cuius auctoritate Rector Maior gradu dimoveri potest.

VIII.

DE RECTORIS MAIORIS ELECTIONE.

1. Ut quis Rector Maior seu Generalis Superior eligi possit, oportet ut saltem decem annos in societate transegerit, quintum et trigesimum aetatis suae expleverit, sociis vitae sanotimonia, dexteritate et prudentia in expediendis societatis negotiis praefulsebit, et in perpetuum professus sit.

2. Duplici de causa Rectoris Maioris electio fieri contingit, videlicet vel ob expletum duodecim annorum munus, vel ob Rectoris ipsius mortem.

3. Si Rector Maior eligendus sit, eo quod duodecim annos in munere obeundo transegerit, electio in hunc modum est facienda. Ipsem Rector Maior, tres menses antequam sui officii tempus effluxerit, Collegium seu Capitulum Superius convocabit, eisque sui muneric finem imminere palam faciet. Huius rei notitiam transmittet Directoribus cuiusque domus, eisque sociis omnibus, qui secundum constitutiones suffragium dare poterunt. Dum autem diem significabit, qui

finem suo muneri imponet, aliam statuet diem ad sui successoris electionem perficiendam. Eodem tempore pietatis sollemnia assignabit ad superna lumina obtainenda, clare et distincte omnes commonens de maxima singulorum obligatione suum dandi suffragium illi, quem ad Dei gloriam utilitatemque animarum in societate promovendam magis idoneum iudicaverint. Tempus vero electionis peragendae quindecim dierum spatium a fine muneric sui excedere non debebit.

4. A die, quo suum munus explevit, usque ad peractam eiusdem successoris electionem, Rector Maior perget in societatis regimine et administratione eadem auctoritate pollere qua gaudet Praefectus in morte Rectoris, donec eius successor in munere suo reapse sit constitutus.

5. In electione Rectoris Maioris suffragium dabunt Capitulum superius, Directores cuiusque domus, et una cum socio a professis eiusdem domus electo, dummodo vota perpetua iam emiserint. Si quis quacumque ex causa proprium suffragium conferre non poterit, ab aliis iure et valide electio fiet.

6. Maioris Rectoris electio in hunc modum est facienda: Omnes electores, flexis genibus ante imaginem Domini nostri Iesu Christi crucifixi, divinum auxilium invocabunt persolventes hymnum *Veni Creator Spiritus* etc. Quo finito, Praefectus fratribus in unum collectis causam aperiet, propter quam eos convocaverint. Quo facto omnes socii professi atque adstantes in chartula scribent nomen illius, in cuius favorem suffragium edere excipiunt, et schedulam ab iis exaratum ponent in vasculo ad hoc parato. Hisce peractis, secreto modo ab omnibus praesentibus eliguntur tres scrutatores et duo scribae. Qui absolutam votorum pluralitatem consecutus fuerit, erit novus Rector, seu Superior Generalis.

7. Si autem ob Superioris Generalis mortem electio sit facienda, haec regula et ordo teneatur: Mortuo Rectore Maiore, Praefectus illius mortis notitiam ad omnes domorum Directores per litteras transmittet, ut ad labes abolendas eius animae secundum constitutiones quam citissime pro defuncti anima fiant. Electio huismodi non ante tres, neque

post sex menses, quam Rector vita sit functus, erit facienda. Ob hanc causam Praefectus Capitulum Superius convocabit, eiusdemque consensu opportuniorem statuet diem ad eos cogendos, qui electioni interesse debent, quemque admonens de iis omnibus quae art. 3º dicta sunt.

8. Suffragium autem ii dabunt, qui hoc iure polleant eligendi Rectoris, quemadmodum in articulo 5. huius capituli dictum est.

9. Qui pluralitatem absolutam votorum assedit fuerit, novus Superior Generalis esto, cui omnes societatis sodales obedire tenentur.

10. Peracta electione, Praefectus operabit, ut novus Rector Maior quam citissime omnibus congregationis sociis innotescat. Quo facto, omnis superioris Generalis auctoritas in Praefecto finem habet.

## IX.

### DE CAETERIS SUPERIORIBUS.

1. Praefectus, spiritualis Director, Oeconomus et tres consiliarii quos supra memoravimus, per suffragia eligentur a Rectore

Maiore et a sociis, qui iam cum votis perpetuis se obstrinxerint ad Rectoris Maioris electionem partem habere poterunt. Ut eligi possint requiritur ut saltem quinquennium unusquisque in Societate permanserit, quinque et triginta annos expleverit et vota perpetua emiserit. Ne officium ipsis creditum detrimentum aliquod patiatur, extra domum, in qua Rector Maior commoratur, residere ordinarie non poterunt.

2. Sexto quoquo anno fiet electio tum Praefecti, spiritualis Directoris, et Oeconomi, tum trium consiliariorum.

3. Electio erit facienda ad solemnitatem in honorem s. Francisci Salesii, quo tempore domorum Directores convocari solent. Tribus mensibus ante dicta solemnia sacra Rector Maior notum faciet omnibus domibus diem, quo omnes domus debent electionem peragere.

4. Itaque omnes Directores. suac domus in perpetuum professos convocabunt, et cum socio ab ipsis delecto ad futuram electionem venient.

5. Die constituto Capitulum Superius cum directoribus et omnibus sociis secum dedu-

ctis suffragium ferent, et scrutinium publice facient. Ad hoc eliguntur tres scrutatores et duo scribae. Qui suffragiorum pluralitatem obtinuerit, novum erit membrum Superioris Capituli.

Si vero alicuius domus director aut socius ob nimiam distantiam, vel alia iusta de causa ad huiusmodi electionem pervenire non potuerit, electio tamen rata et perfecta erit habenda.

6. Officia cuiusque membra superioris Capituli Rector, prout feret necessitas, distribuet.

7. Directori tamen spirituali tyronum seu novitiorum cura est presertim demandata. Ipse enim una cum novitiorum magistro strenuam operam dabit, ut ipsi illum charitatis et sollicitudinis spiritum condiscant, actaque perficiant, quo inflammari debet, qui omnem vitam suam ad animarum lucrum faciendum optet impendere.

8. Directoris quoque spiritualis est Rectorem reverenter admonere, quotiescumque gravem negligentiam in eo perspiciat in constitutionibus Congregationis exsequendis, vel senscrit eum earum observantiam in aliis segniter fovere.

9. Praecipuum vero Directoris spiritualis officium in hoc praesertim versatur, ut quidquid ad bonum spirituale conferre cognoscit, Rectori patefaciat, qui prout magis in Domino expedire iudicaverit providere curabit.

10. Praefectus, Rectore absente, illius vicem gerit in iis omnibus, quae ad consuetum Societatis regimen spectant, vel quae peculiariter illi fuerunt demandata.

11. Ipse rationem habebit exceptae et expensae pecuniae; in tabulas referet legata, alicuius momenti donationes in quamcumque domum collatas et earum destinationem. Mobilium et immobilium rerum fructus sub Praefecti custodia et responsione erunt.

12. Praefectus igitur est veluti centrum a quo totius Societatis administratio profici sci et ad quod referri debet. Praefectus vero Rectori subiicitur, eique gestionis suae saltem semel in anno rationem reddet.

13. Oeconomus materialem totius societatis statum diriget. Ipse enim exequetur emptiones, venditiones, aedificationes et alia id genus. Sed in causis iudicialibus agere non poterit absque sanctae Sedis consensu.

Item Oeconomi muneris est consulere, ut unicuique domui, quae necessaria sunt, expeditentur.

14. Consiliarii omnibus deliberationibus intersunt, quae ad acceptationem in tyrocinium sociorum vel dimissionem a societate vel votorum admissionem alicuius socii pertinent. Si agatur de aperienda nova domo; de alicuius domus Directore eligendo; de contractibus rerum immobilium; de emptionibus aut venditionibus; denique de rebus maioris momenti, quae ad rectum Societatis generalem processum spectant. Si in numero recognoscendo secretorum suffragiorum, quae vim deliberationis habent, maior pars favorabilis non habetur, omnes de re agenda deliberationes Rector protrahet.

15. Unus de consiliariis ex delegatione Rectoris curam aget de rebus scholasticis totius Societatis. Alii duo pro opportunitate vices gerent adlectorum in Capitulum Superiorius, si forte ob valetudinem vel aliam ob causam munere suo fungi nequeant.

16. Unusquisque ex superioribus, Rectore excepto, sex annos in munere suo manebit,

ac iterum eligi poterit. Si quis autem de Capitulo Superiori vel morte vel quacumque causa cessaverit a proprio officio antequam sexen-nium adimpleverit, Rector Maior ei muneri praeponet quem melius in Domino iudicave-rit; qui in officio solum stabit ad finem se-xennii, iam a socio cessante inchoati.

17. Si opus fuerit, Rector Maior, Capitulo Superiore adprobante, constituet visitatores, eisdemque curam quamdam demandabit cer-tum domorum numerum inspiciendi, ubi ea-rum distantia et numerus id postulaverit. Hu-iusmodi visitatores, sive Cognitores, Rectoris Maioris vices gerent in domibus et in nego-tiis eisdem demandatis.

X.

DE SINGULIS DOMIBUS.

1. Siquando singulari divinae Providen-tiae favore aliqua Domus sit aperienda, ante omnia Superior Generalis consensum obtineat Episcopi Dioecesis , in qua domus a-perienda sit.

2. Sed hac in re cautissime incedendum est, ne in domibus aperiendis, vel in administrationibus cuiuscumque generis suscipiendis aliquid statuatur vel agatur contra leges.

3. Si autem in Societate aperienda sit domus instituendis pueris laicis, vel sacrorum alumnis qui grandiori iam sint aetate, tunc non solum in iis quae sacrum ministerium respi- ciunt, sed omnis etiam in disciplinis traden- dis Superiori Ecclesiastico obedientia praebetur. In eligenda materia, quae tradi debeat, in libris usurpandis, in disciplina atque etiam in temporali administratione iis standum, quae Rector Maior cum Ordinario loci constituet.

4. Seminariorum directio a Societate suscipi nequit sine expressa in singulis casibus Apostolicae Sedis venia.

5. Numerus sociorum in novis domibus erigendis non sit minus sex. Superior cuiusque domus a Capitulo Superiore eligitur et *Directoris* nomen assumet. Quaeque domus bona administrabit, quae vel dono data, vel in societatem illata sunt, ut peculiari illi domui inserviant; at ea semper ratione quae a superiore Generali sit descripta.

6. Peculiares domos saltem semel in anno inviset Rector vel per se vel per visitatorem, ut diligenter inquirat, an officia expleantur, quae constitutiones Societatis praescribunt; simulque animadvertiscat, an spiritualium et temporalium rerum administratio ad propositum finem reapse spectet, ut scilicet Dei gloria et animarum salus promoveantur.

7. Ad directorem autem quod attinet, ita se in cunctis gerat, ut omni temporis momento suae administrationis possit rationem reddere Deo et Superiori Rectori.

8. Praecipua est eiusdem Rectoris cura in recenti quaque domo capitulum constituere, quod numero sociorum in ea habitantium congruat.

9. Ad hoc autem capitulum constituendum convenient Capitulum Superius et novae domus Director.

10. Inter eligendos primus est Catechista, tum Praefectus, et si opus fuerit etiam Oeconomus, demum singuli Consiliarii, iuxta sociorum numerum et ea quae in illa domo agenda sunt.

11. Quod si distantia, tempora et loca suadeant quaedam esse excipienda in capitulo

constituendo, vel in munerebus assignandis, omni ad id auctoritate Rector Maior pollet, consentiente tamen Capitulo Superiore.

12. Director neque emere, neque vendere immobilia, neque nova aedificia extrahere vel aedificata demoliri poterit, neque res novas magni momenti perficere, nisi adsit Rectoris Maioris consensus. In administratione omnis processus spiritualis, scholasticus, materialis ad eum pertinet; at in iis, quae maioris momenti sint, consultius erit capitulum suum convocare, nec quidquam deliberare nisi illius consensus habeatur.

13. Catechista spiritualia quaeque illius domus procurabit, sive illa respiciant socios, sive ad caeteros, qui ad congregationem non pertinent, et si opus fuerit, Directorem de rebus admonebit.

14. Praefectus Directoris vices gerit; et praecipuum ipsius munus erit res profanas seu *temporales* administrare, coadiutorum curam gerere, supra alumnorum disciplinam attento oculo vigilare iuxta constitutiones universitatis cuiusque domus et consensum Directoris. Ipse paratus esse debet ad rationem de

sua gestione reddendam Directori suo, quoties ab eo expostulabitur.

15. Oeconomus, ubi necessitas ingruat, Praefectum adiuvabit in suis officiis, praesertim in negotiis profanis perficiendis.

16. Consiliarii autem intersunt deliberationibus alicuius momenti et Directorem adiuvant in re scholastica et in iis omnibus, quae eis demandata erunt.

17. Unusquisque Director quotannis Rectori Maiori sacrae et temporalis administrationis suae domus rationem reddere debet.

## XI.

### DE ACCEPTIONE.

1. Vix quispiam societatem ingredi petierit, requirantur de eo testimoniales litterae ordinariorum iuxta Decretum 25 Ianuarii 1848 incipiens *Romani Pontifices* etc. a sacra congregazione super statu Regularium editum. Quod ad valetudinem attinet, ea talis sit, ut omnes Societatis constitutiones absque exceptione possit observare.

Ut laici in Societatem recipi possint, praeter alia, saltem fidei catholicae rudimenta calleant.

Rector autem Maior postulantem ad acceptationem admittet, si a capitulo superiori suffragiorum pluralitatem consecutus fuerit.

2. Pro admittendis tyronibus seu novitiis, qui militiae sacrae nomen dare debent, si aliqua irregularite detineantur, requiritur apostolicae sedis venia.

3. Post tempus secundae probationis res erit apud capitulum eius domus, in qua socius a superioribus positus est. Tertia probatione expleta, de Rectoris maioris consensu, a superioribus eiusdem domus ad votorum renovationem admitti poterit. Si saltem maiorem suffragiorum partem obtinuerit, de illo referetur Rectori Maiori, qui habita Superioris Capituli sententia, huiusmodi admissionem confirmabit vel non prout melius in Domino iudicaverit.

4. Absente Capitulo Superiore, ipse Rector Maior, si iusta causa interveniat, potest in societatem recipere et ad vota admittere vel etiam dimittere quem putaverit

ex societate cuiusque domus; at hoc fieri poterit suffragante et praesente domus illius Capitulo. Hoc autem in casu Director illius domus, in qua acceptio vel dimissio facta est, rem nunciabit Capitulo Superiori cum opportunitis indicationibus, ut socius vel inscribatur in societatis elenco, vel ab eo expungatur.

5. Quod ad acceptationem sociorum, eorumque professionem votorum simplicium attinet serventur omnia a Decreto 25 Ianuarii an. 1848 *Regulari disciplinae* s. Congregationis super statu Regularium praescripta.

6. Ut quisquam ad vota nuncupanda admittatur, necesse erit ut primae et secundae probationis tyrocinium exercuerit. At nemo ad votorum nuncupationem admittendus est, nisi sexdecim aetatis annos fuerit praetergressus.

7. Haec autem vota ad triennium nuncupantur. Tribus autem annis transactis, praeeunte Capituli consensu, cuilibet facultas dabitur ea ad aliud triennium iterandi, vel perpetua faciendi, si voluerit per omnem vitam votis se obstringere. Nemo tamen ad sacros ordines titulo Congregationis erit admittendus, nisi vota perpetua iam pronunciaverit.

8. Societas Divinae Providentiae innixa , quae numquam deest sperantibus in ea , omnia cuique necessaria providebit , sive florente valetudine sive premente morbo. Tamen erga illos tantum societas devincitur , qui iam votis sive temporariis sive perpetuis se obligarunt.

## XII.

### DE STUDIO.

1. Presbyteri , omnesque socii , qui clericalem militiam petunt , studiis Philosophicis per biennium , Ecclesiasticis vero saltem per quatriennium strenuam operam dabunt.

2. Praecipuum eorum studium totis viribus dirigetur ad Biblia Sacra , Historiam Ecclesiasticam , ad Theologiam dogmaticam , speculativam , moralem , nec non ad libros , vel tractationes , quae de iuvenibus ad res religiosas instruendis dedita opera disserunt.

3. Noster Magister erit sanctus Thomas , caeterique auctores , qui in Catechesi et in doctrina catholica interpretanda celebriores communiter censentur.

4. Ad disciplinas tradendas cum philosophicas, tum Ecclesiasticas, ii doctores prae caeteris deligantur, sive Socii sint sive externi, qui vitae probitate, ingenio, ac doctrinae praestantia aliis praecellunt.

5. Praeter quotidianas morales *collationes* quisquis socius contexere sataget seriem sacrarum concionum atque meditationum, pri-  
mum in usum adolescentium, deinde ad cap-  
tum omnium Christi fidelium accommodatam.

6. Cavendum sedulo est ne socii, quamdiu in studia incumbunt, a Constitutionibus prae-  
scripta, iis Charitatis operibus, quae ad so-  
cietatem Salesianam spectant, nisi necessi-  
tate cogente, operam navent; haec enim magnam plerumque studiorum iacturam ad-  
ferre consueverunt.

### XIII.

#### PIETATIS EXERCITIA.

1. Vita actuosa, ad quam potissimum haec Congregatio spectat, efficit, ut socii nequeant compluribus pietatis exercitationibus si-  
mul collecti operam dare. Quae quidem omnia

socii suppleant bonis exemplis sibi invicem praelucendo, et perfecte generalia christiani hominis officia adimplendo.

2. Singulis hebdomadis socii ad poenitentiae sacramentum accedant, iis conscientiae moderatoribus usi , qui sint ab ordinariori adprobati , et munus illud erga socios exerceant permissu Rectoris. Presbyteri quotidie sacrum facient: clerici vero et sodales adiutores curabunt, ut eidem sacrificio quotidie intersint et saltem singulis diebus festis, et quaque feria quinta Corpus Christi sumant. Compositus corporis habitus ; clara, religiosa et distincta pronuntiatio verborum, quae in divinis officiis continentur; modestia sermonis domi forisque , incessus ipse in sociis nostris praefulgere debet , plane ut his rebus potissimum a caeteris distinguantur.

3. Singulis diebus unusquisque praeter orationes vocales saltem per dimidium horae orationi mentali vacabit, nisi quisquam forte ob sacri officia ministerii impediatur. Tunc autem maiori , qua fieri poterit , frequentia eas res per iaculatorias preces supplebit, ma-

iorique affectus vehementia Deo offeret illa opera, quae a constitutis pietatis exercitatio-nibus illinc prohibent.

4. Quoque die Deiparae Immaculatae ter-tia sacri Rosarii pars recitabitur, et piis lec-tionibus per aliquod temporis spatium va-cabitur.

5. Cuiusque hebdomadae feria VI ieunium erit ob memoriam Passionis D. N. I. C.

6. Ultimo omnium mensium die , a pro-fanis curis remotus, quoad eius fieri poterit, se quisque spiritu in se recipiet, et exercitio vacabit , quod ad bene moriendum animas solet p̄aeparare , spiritualia et temporalia componens , perinde ac si ex his terris ei esset migrandum, et aeternitatis via adeunda.

7. Unusquisque quotannis per dies ferme decem vel saltem sex secedet, ut ad pietati-s officia operam impendat; quibus rite functis, se purgabit confessione criminum quae per annum deliquerit. Omnes , ante-quam in societatem cooptentur, et priusquam vota nuncupent, per decem dies religioni o-peram dabunt sub magistris pietatis, seque generali admissorum confessione purgabunt.

8. Quoties Divina Providentia socium , sive laicum, sive clericum , sive Presbyterum ad vitam aeternam vocaverit , statim cura superioris domus, in qua socius morabatur, decem missae peragantur ad socii defuncti labes abolendas. Caeteri vero , qui sacerdotali dignitate carent , semel saltem ad epulum Eucaristicum accedant , ut coelestia solatia defuncti animae implorent.

9. Quoties vero alicuius socii parentes moriantur, Sacerdotes domus illius socii decem itidem celebrabunt ad eorum labes abolendas ; qui vero sacris non sunt iniciati semel ad sacram Synaxim accendent.

10. Mortuo Rectore, pro anima illius sacra facient omnes congregationis socii, idque  
1. Tamquam grati animi pignus ob curas et labores, quae in regenda societate sustinuit; 2. Ut a poenis Purgatorii liberetur , quae illi fortasse ob nostram causam perrendae erunt.

11. Singulis annis statim postridie festum sancti Francisci Salesii, omnes Congregationis Presbyteri pro sociis defunctis sacrum facient. Caeteri omnes ad sacram Synaxim ac-

cedant, tertiamque B. M. V. Rosarii partem una cum aliis precibus persolvant.

12. Omnibus autem haec duo potissimum cordi habenda sunt: 1º Attente caveat unusquisque, ne se habitudinibus cuiuscumque generis sint, rerum vel indifferentium, devinciri patiatur; 2º Cuiusque vestis, lectus et cellula munda sint et decentia: et omnes summopere studeant putidam affectionem et ambitionem devitare. Nihil magis sodalem religiosum exornat, quam vitae sanctimonia, qua caeteris in omnibus prae-  
luceat.

13. Quisquis paratus sit, ubi necessitas id postulet, aestuin, frigora, sitim, famem, labores et contemptum tolerare, quoties haec conferre videantur ad maiorem Dei gloriam, ad spiritualem aliorum utilitatem, suique animae salutem.



XIV.

DE TYRONUM, SEU NOVITIORUM MAGISTRO  
EORUMQUE REGIMINE.

1. Socius quisque tria probationis stadia facturus est, antequam in societatem recipiatur. Primum probationis stadium tyrocinii tempus seu *novitiatum* praecedere debet, et appellatur aspirantium; secundum est tyrocinium ipsum, seu Novitiatus proprie dictus; tertium est tempus votorum triennalium.

2. Generatim prima probatio sufficiens censembitur, quando postulans aliquot iam annos in aliqua societatis domo transegerit, vel publicas Congregationis scholas frequentaverit; ac eo temporis spatio sanctis moribus et ingenio refulserit.

3. Si quis vero iam grandioris aetatis a hoc pium sodalitium adscribi voluerit, et ad primam probationem fuerit receptus, statim piis exercitationibus, secedens, vacet, deinde saltem per aliquot menses in variis

Congregationis officiis exerceatur; adeo ut cognoscat atque actu exequatur illam vivendi rationem, quam amplecti cupit. Eodem tempore Novitiorum Magister, caeterique superiores animadvertant, an postulans aptus sit ad Salesianam Congregationem.

4. Tempore primae probationis novitiorum magister, caeterique superiores diligenter tyronum agendi rationem observare debent ut quidquid in Domino ex re iudicaverint superiori Capitulo referant atque patefaciant.

5. Quoniam vero Nostrae Congregationis finis est praecipuus iuvenes praesertim pauperiores scientiam et religionem edocere, eosdemque inter saeculi pericula in viam salutis dirigere; ideo omnes primae huius probationis tempore non leve experimentum facturi sunt de studio, de rebus ad scholas diurnas et vespertinas pertinentibus, de catechesi pueris facienda, atque de auxilio in difficilioribus casibus praestando.

6. Prima probatione feliciter peracta, atque Socio in Congregationem recepto, statim novitiorum magister animum intendat, ni-

hilque eorum praetermittat, quae ad Constitutionum observantiam conferre possint.

7. Rector Maior de consensu caeterorum Superiorum perquiret quibus in domibus tyrocinia, seu Novitiatus sint instituenda; quae tamen erigere nunquam poterit absque permisso s. Congregationis Episcoporum et Regularium.

8. Locus uniuscuiusque *Novitiatus* ab ea domi parte distinetur, in qua degunt professi, habeatque tot cellulas cubicularias seiunctas, quot erunt Novitii; vel dormitorium ita capax, ut pro singulis lectuli commode sterni possint, atque cellula vel locus idoneus reperiatur pro Magistro.

9. Novitiorum magister eligatur in Capitulo Generali, ex iis qui iam vota perpetua nuncupaverint, aetatem annorum triginta quinque expleverint, et iam decem annos in Societate permanserint. Sex annos ipse in officio suo manebit; si autem vitam obierit nondum muneris sui tempore expleto, Rector Maior de consensu Capituli superioris alium ei sufficiet, usque ad futuri Capituli Generalis celebrationem.

10. Novitiorum Magister maximo studio adeo se facilem, mitem, corde bonitatis pleno exhibeat, ut tyrones animum ei aperiant in omnibus, quae ad perfectionis incrementum prodesse possint: dirigat, instruat eos in Constitutionibus generatim adimplendis, et specialiter in iis quae ad votum Castitatis, paupertatis et obedientiae referuntur. Idem si exempli instar sit, ut quidquid ad nostri Instituti pietatis exercitationes pertinet, compleant atque perficiant. Singulis praeterea hebdomadis collationem de cathechesi et de iis, quae ad Institutum referuntur, teneat. Saltem scinel in mense singulos novitios peramanter ad se vocatos hortetur, ut tuto sibi fidere velint, quo monita eius salubria utilius recipient.

11. In receptione Novitiorum omnia ad amissim serventur quae sunt constituta ab art. 1 et 5 praecedentis cap. XI.

12. Secundae probationis tempore, id est Novitiatus anno, nullis rebus omnino novitii vacent, quae propriae sunt nostri Instituti, ut unice intendant in virtutum profectum, ac animi perfectionem ad vocationem qua sunt

vocati a Deo. Poterunt tamen festis diebus in propria domo de catechesi pueros instruere sub magistri arbitrio et vigilantia (1).

13. Elapso novitiatus anno, si socius in omnibus maiorem Dei gloriam, bonumque Congregationis se curaturum ostendat, atque inter pietatis exercitationes bonorum operum exemplar seipsum praebuerit, annum secundae probationis ille explevisse censebitur; alioquin in aliquot menses vel etiam in annum differatur.

14. Novitiatu perfecto, atque socio in congregationem recepto, habita Magistri Novitiorum sententia Maius Capitulum ad vota triennalia nuncupanda socium admittere potest. Votorum praxis πρὸξις ad tres annos tertiam probationem constituet.

15. Hoc temporis spatio socius admitti potest in quamcumque Congregationis domum, dummodo inibi studia vigeant. Tunc temporis

(1) Pius Papa IX benigne annuit tyrones, tempore secundae probationis, experimentum facere posse de iis, quae in prima probatione sunt adnotata, quoties ad maiorem Dei gloriam id conferre iudicabitur. Viva vocis oraculo die 8 aprilis 1874.

Director illius domus de novo socio curam geret tamquam novitiatus magister.

16. Toto huiusmodi experimentorum tempore novitiorum magister, vel Director domus sensuum externorum coërcitionem, praesertim vero sobrietatem, etiam atque etiam commendare atque leniter in tyrones inserere curabit. Qua tamen in re summa prudentia incedendum est, ne corporis vires nimium debilitentur, et ad nostri instituti ministeria obeunda minus apti socii reddantur.

17. Tribus his probationibus laudabiliter exactis, si socius perpetuo in congregacione permanere in animo reapse habuerit, voti compos fieri atque a Superiore Capitulo ad vota perpetua nuncupanda admitti poterit.

## XV.

### DE VESTIMENTO.

1. Vestimentum, quo utuntur socii, varium erit, pro regionum varietate, in quibus illi commorantur.

2. Sacerdotes talarem vestem induent, nisi iter, vel alia iusta ratio aliter poscat.

3. Socii adiutores nigro vestimento, quo ad eius fieri possit, induentur. At procul saecularium novitates habendas unusquisque existimabit.

FORMULA VOTORUM.

Antequam socius vota nuncupet, secedens, pietatis exercitationibus per decem dies vacabit, quae huc praesertim spectabunt, ut quisque, quo Deus illum vocet, attente consideret, simulque votorum materiam edoceatur, quae nuncupare velit, ubi certo cognoscat hanc esse Dei voluntatem. Peractis exercitationibus, capitulum habebitur, atque si fieri potest, omnes illius domus socii convocabuntur.

Rector, vel qui alius ab eo delegatus vicem Rectoris sustineat, superpelliceo et stola indutus una cum sociis omnibus genua flexa submittet. Deinde omnes simul Spiritus Sancti lumina invocabunt alterna voce recitantes hymnum *Veni, Creator Spiritus* etc.

¶. *Emitte Spiritum* etc.

¶. *Et renovabis* etc.

*Oremus.*

*Deus, qui corda fidelium etc.*

Subsequuntur Litaniae Beatae Virginis  
cum versiculis *Ora pro nobis* etc. et cum  
*Oremus. Concede nos* etc.

Tum precatio in honorem s. Francisci Salesii  
*Pater, Ave, Gloria.*

¶, *Ora pro nobis, beate Francisce.*

¶. *Ut digni efficiamur* etc.

*Oremus.*

*Deus, qui ad animarum salutem* etc.

Deinde socius , ac si plures sint singuli,  
flexis genibus coram Rectore vel domus di-  
rectore ipsi delegando medius inter duos  
professos clara et intelligibili voce hanc vo-  
torum formulam proferet:

« In Nomine Sanctae et Individuae Tri-  
nitatis Patris, Filii et Spiritus Sancti. —  
» Ego N...N... coram te , Omnipotens et  
» Sempiterne Deus, licet conspectu tuo in-

» dignus, summae tamen tuae bonitati, et  
» Infinitae Misericordiae confisus, coram  
» Beatissima Virgine Maria sine labe origi-  
» nali concepta, Sancto Francisco Salesio,  
» omnibusque beatis caelestibus votum facio  
» Paupertatis, Castitatis et obedientiae Deo,  
» et tibi N...N... Nostrae Societatis Supe-  
» rior, (*vel tibi, eiusdem Superioris vices*  
» *gerenti*) ad tres annos, (*vel in perpetuum*)  
» iuxta constitutiones societatis Sancti Fran-  
» cisci Salesii. »

Omnis respondent: *Amen.* Deinde novus  
socius nomen suum in libro notabit, hanc  
schedulam complendo, quae sic se habet:

« Ego infrascriptus N...N..., legi ac plane  
» intellexi societatis Sancti Francisci Salesii  
» constitutiones, ac proinde promitto me se-  
» cundum votorum formulam in praesens  
» mihi prolatam eas constanti animo obser-  
» vaturum. »

*Augustae Taurinorum vel, etc. anno etc.*  
N...N...

Hisce peractis , recitabitur *Te Deum* alternis vocibus ; postea vero , si Rector ad rem existimabit , brevem ad id moralem exhortationem habebit , quibus omnibus finem afferet psalmus : *Laudate Dominum omnes gentes* etc.

### CONCLUSIO.

Praesentes hasce Constitutiones declarat societas pro animarum quiete non obligare *per se* sub peccato nec mortali nec veniali ; ideoque si quis illas perfringendo sit reus coram Deo , id non iam ex ipsis Constitutionibus directo provenire , sed vel ex praeceptis Dei aut Ecclesiae , vel ex votis nuncupatis , vel denique ex rerum adjunctis quae Constitutionum violationem comitantur , cuiusmodi sunt malum exemplum , contemptus rerum sacrarum , aliaque id genus .

